





Numinis Sancti Tutela
Disputatio Theologica Publica

46.

DE
ΤΟΥ ΠΝΕΥΜΑΤΟΣ
ΒΛΑΣΦΗΜΙΑ
SEU
PECCATO IN SPI-
RITUM SANCTUM

Ex occasione Dicti

Epist. Heb. cap. 6. v. 4. 5. & 6.

*Quam, annuente Maxime Reverendo & Amplissimo
Theologorum ordine*

In Alma Leucorea

Sub PRÆSIDIO

Viri Magnifici, Maxime-Reverendi atque Excellentissimi

DN. JOH. Deutschmann /

S. S. Theol. Doct. Nominatissimi Professoris Publici

Primarii, Theologi dudum bene meriti, Facult. Suae

Senioris maximi Spectabilis, Templ. ad Arcem

Præpos. Meritiss. & Alumnorum Elect.

Ephori dexterrimi

Dn. Patroni, Præceptoris ac Promotoris Sui omni pietate & obser-

vantia atatem colendi

Publicæ συζήτησεως χάριν

ad Diem 3. Febr. Anno. 1700.

horis & loco destinatis

σὺν τῷ exhibet

NICOLAUS S. TILIANDER,

Smoland. Svecus.

WITTENBERGÆ Litteris JOHANNIS HAKII.

46.

TOI THY...
BAA

FECCATO...
RITUM SAN...

LA ALIA...

DM JOH...

Seniors...
Hypoc...

Dr. Baron...

NICOLAS...

WITENBERG...



I. N. 7.

CAP. I.

Textus Graecus Originalis.

v. 4. Αδύνατον γὰρ τὰς ἅπαξ Φωτισθέντας, γευσασμένους τε τῆς δωρεᾶς τῆς ἐπιφανείας, καὶ μετόχους γεννηθέντας πνεύματι ἁγίῳ, v. 5. καὶ καλὸν γευσασμένους Θεῷ ῥῆμα, δυνάμεις τε μέλλουσι αἰῶνι, v. 6. καὶ παραπεσόντας, πάλιν ἀνακαινίζειν εἰς μετάνοιαν, ἀνασταυρώσας ἑαυτοῖς τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ, καὶ παραδειγματίζοντας.

Latinus Vulgatus.

v. 4. *Impossibile enim est, eos, qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum caeleste, & participes facti sunt Spiritus Sancti v. 5. & gustaverunt [subaudi nihilominus] bonum DEI verbum, virtutesque seculi venturi, v. 6. & prolapsi sunt, rursus renovari ad pœnitentiam, rursus crucifigentes sibi metipsis Filium Dei, & ostentari habentes.*

B. Lutheri Germanicus.

v. 4. Denn es ist unmöglich / daß die / so einmahl erleuchtet sind / und geschmacket haben die himmlische Gaben / und theilhaftig worden sind des H. Geistes / und geschmacket haben das gürtige Wort Gottes / und die Kräfte der zukünftigen Welt / wo sie abfallen / und widerumb Ihnen selbst den Sohn Gottes creuzigen / und für Spott halten / daß sie solten widerumb erneuet werden zur Buße.

A

Cap.

Cap. II. Sensus Textualis.

I.

Scriptura Sacra non immerito Mare dicitur inexhaustum, quo penitus ingredimur, quo profundius immergimur, eo plura *divinorum* *Mysteriorum* agmina ferie longissima contuemur, & per *illuminationis mysticæ* gratiam, atque *Sancti Spiritus* adfistentiam, & mirabilem *ἐπέχειαν*, eo copiosiore doctrinarum abundantiam ac eo firmiore in his notitiam, ad *Christianismi* *γνώσιν*, & *σωτηρίαν* consequimur.

2. Quod in genere dicitur de *Tota Scriptura Canonica*, certe pariter de *singulis Oraculis classicis* est asserendum. *Divina* siquidem in his *sapientia* reperitur, quæ prorsus *infinitæ* creditur *conditionis*, ut nec in *longum & latum*, nec in *altum* vel in *profundum*, *infinitæ vastitatis* ambitum penetrare, vel perlustrare liceat: quo plus in iis *sapientia* per assiduum, à *Christo* Joh. V. 39. demandatum, & omnibus commendatum, *scrutinium* reperitur, eo plura *sapientia divina secreta* gemmis, & auro pretiosiora, se cumulatim offerre videntur.

3. Et quod de *reliquis scripturarum Oraculis*, ex ipsorum *natura*, vel *emphatica structura* creditur, illud pariter de *presenti Sancti Spiritus Apophthegmate*, quoad abundantissimam *constitutionem*, & plenissimam *eruditionem*, optimo jure nobis asserendum, & ab omnibus concedendum esse dicitur. Cernimus hic *elegantiam verborum*, *evidentiam significationum*, *pulcherrimam omnium harmoniam*, *artificiosam commatū* *συνέχειαν*, & *alia Textus* bene *cohærentis*, & in *requisitis* suis optime *consistentis*, *axiomata*, quæ de *causa* vix apparet, quid *primò*, quid *secundo*, quid *tertio* rimari, vel admirari debeamus. *Tanta pariter doctrinarum multitudo*, *tanta quoque mysteriorum magnitudo*, se pie meditantibus in hoc *Oraculo* certatim exhibet, ut insignem considerantibus *voluptatem*, & non contemnendam *utilitatem*, ex labore promittat, imo *tantas rerum & verborum divitias* profundius intuentibus offerat, ut vix in *vastissimo Commentario* singula, tum *notari*, tum *explicari*,
tunc

tum applicari queant. Nobis hic breves *Theologica Disputatio* pagellæ concessæ sunt, nec igitur omnia, nec pleraque sed tantum nonnulla tangenda, nec eadem omnibus *mediis*, & *modis* exponenda, sed brevioribus *verbis*, & paucioribus *lineis* proponenda veniunt.

4. De *Verbis* igitur huius *Oraculi* nihil adducimus, sive *speciem* & *singula*, sive *conjuncta*, sive *dictionum naturam*, quoad *Etymologiam*, *Homonymiam*, & *synonymiam*, sive *texturam*, quoad *variā relationem*, & vel *immediatam*, vel *mediatam combinationem*, sive *notabilem structuram*, quoad *Oraculi totius constructionem*, sive quævis alia, quæ non sine fructu, juxta *Rhetorologiam sacrā* communiter notari consueverunt. His enim omnibus nullus in hac brevi *Disputatione* locus conceditur.

5. *Palmarium* quod est in hoc *Doctrinali Sancti Spiritus Domicilio*, *sensum* respicit, & attendit, adeoque de *sensu* potissimum debemus esse solliciti, non equidem *parvum*, sed imprimis *totius* huius *Oraculi*, cum maxime sit illud *dubium*, atque *controversum*, de quo nim. *Themate*, vel *Objecto*, vel quo *doctrina* *capite*, seu *articulo*, sive de quo *Dogmate* nostrum *Oraculum*, juxta *textum*, juxta *totius capitis cursum*, *antecedentium*, & *sequentium consensum*, *locorum parallelorum concentum*, & ipsius *Spiritus Sancti*, tanquam *principalis Autoris*, *intentum*, *directe* loquatur. *Dubia*, quæ moventur, sunt *hominum*, non *Dei*, *Doctorum*, non *Doctrina*, *externa*, non *interna*, *illata*, non *innata*, *vagæ* & *ψευδαιμνίας*, non *authentica* vel *literalis ἐρμηνείας* &c. Ad hæc, non ad illa, *Sacra*, vel *Sancti Spiritus Hermentica* respicit, nec ad illa, juxta *Dei Voluntatem*, & ipsius *Verbi* *quidditatem*, & *qualitatem*, respicere debet, cum illa *peregrinum*, & *adulterinum sensum* offerant, *nativum*, & *genuinum* *authoris sensum* hæc tantummodo pariant, juxta *primum cognoscendi principium*, quod *in terminis* à *Spiritu Sancto*, tanquam *Authore*, vel *Interprete summo*, II. *Pet. I. 20.* ponitur, atque proponitur. Τὸ πρῶτον γινώσκοντες, ὅτι πᾶσα προφητεία γραφῆς ἰδίας ἐπιλύσεως ἢ γίνεται
vel *Hoc primum est cognitum*, *primum cognoscendi*, vel *exponendi*,
A 2 vel

vel interpretandi Principium, quod nulla Scripturae Prophetia, vel etiam nulla scriptura sit nostrae, vel nobis propria, five privata, vel hujus, vel illius Doctoris, solutionis, resolutionis, expositionis explicationis &c.

6. De sensu vero praesentis Oraculi tot sententiarum Divortia sunt, ut vix numerari possint; explanationem earum, considerationem, & collationem itidem, brevis haec tractatio ne utiqvam admittit: prolixa certe scriptura, vastoqve libro foret opus, si quis omnes, vel plerasqve maxime discrepantes opiniones, de hujus Textus sensu, colligere, singulasqve, tum à se, tum à textu differentes expositiones, vel inter se, vel etiam cum textu conferre studeret. Nostri laboris, & intentionis, hoc non est, nec etiam praesentis occasionis, cum ex desiderio CLARISSIMI DN. RESPONDENTIS brevis quaedam Disputatio de Peccato in spiritum Sanctum modo conscribenda sit.

7. Misit igitur universis, & singulis aliis, opinionibus, cum Scriptura S. verè omnibus suis partibus sit in πιστός λόγος, καὶ πίστις & ἀποδοχὴς ἀξίος, sermo fidelis, & omni dignus acceptione, vel approbatione I. Tim. I. 15. βεβαιότερος λόγος II. Pet. I. 19. firmus, firmior, firmissimus, certus, certior, certissimus sermo, qui Veritatis est Verbum Col. I. 5. imo simpliciter ipsa Veritas Joh. XVII. 17. quae tantum una, vel, si liceret ita loqui, semper Unissima, simpliciter unig, & aeternae Veritatis, unig & aeternae certitudinis, unius, & aeternae simplicitatis. Unum Oraculum unum habet verum, unum possidet, & exhibet Sensum. Unius rei tantum una forma. Forma vocis sensus vocis, iuxta communem Philologorum doctrinam. Multus sensus, vel multiplex in uno, vel loco, vel contextu, nullus certus sensus: ἀνὴρ δίψυχος in verbis, gestibus, & factis, Jac. I. 8. dicitur qui nihil certigestibus praefert, verbis profert, & factis offert. Spiritus Sanctus est verus, & certus, rectus, & firmus, obliqua, vel ambigua non admittit. ἄλογος epithetum, proprium attributum Apollinis, & ipsius Diaboli, fuit inter gentiles, qui dubiis, ambiguis, flexi loquis responsis, ad illusionem, & deceptionem consulentium, fuit usus: Deus autem est Deus veritatis Ps. XXXI. 6. & veracitatis Job. III. 34.

Uno

Uno proinde verbo dicimus, quod hoc *Oraculum* agat de *Peccato in Spiritum Sanctum*, quod est *intimum, immediatum, proportionatum, adequatum, vereque genuinum Objectum*, adeoque saltem *Unicum, formalem, immediatum, proprium, genuinum, & à spiritu Sancto, quoad revelationē, intentum sensum generat, & importat, qui sensus, & præsentis erit tractationis.*

CAP. III. *Usus Doctrinalis, cum primis*

DE PECCATO IN SPIRITUM SANCTUM.

I.

Varius est *Scriptura θεσπιεύς*, vel *Oraculorum Clasficorum, vereq; Salutaris* usus, in primis autem *Pauli* hoc usus profecquitur *II. Tim. III. 16. & Rom. XV. 4.* quod alius usus sit *Didacticus, vel Doctrinalis, circa Veritatis Cælestis, quoad capita Doctrinalia, traditionem, h. e. πρὸς διδασκαλίαν; alius Elencticus, vel Militaris, seu Polemicus, circa falsa doctrina rejectionem, & refutationem, h. e. ut Paulus loquitur, πρὸς ἰλιγγιον; alius Epanortboticus, & pœnitentialis, circa malorum morū pœnitentialem correctionem, & emendationem, & peccatorum dehortationem, πρὸς ἐπιανομίαν; alius Pædevticus, & Paræneticus, vel Moralis, circa vitæ pie, vel omnium virtutum exhortationem, πρὸς παιδείαν; alius denique Paracleticus, & consolatorius, circa patientia constantis, & spei firmioris in omnibus calamitatibus excitationem, & confortationem, & perseverantia fiducialis ad finem usque vitæ continuationem, Rom. XV. 4.* Omnem horum Usum abundantissimam hic messem facere possemus, cum *Spiritus Sapia, & intelligentia magnam doctrinarum segetem in hoc oraculo copiose disseminaverit: spiritus vero consilii, & fortitudinis invictum armamentarium in eodem fundaverit, & probatissimam panopliam adversus omnis generis hostes, ad certissimam victoriam, in eodem adornaverit; Spiritus scientia, & timoris Domini, partim efficaces, & prævalentes obices adversus malos mores, & impiam vitam,*

partim fraves, & graves *tuyyes*, vel illices, ad bonos mores, & Christianæ pietatis studium, *partim* vivas, & penetrantes, adversus omnis generis cruces, & adversitates in Christiana militia potenter armaverit: sed in apertissimum, & refertissimum talium usuum campum digredi nolumus, dum ad *Unicum Usum Doctrinalem* unice respicere placet.

2. Et certe si *Doctrinales Oraculi* præsentis *Usus* studiose colligere vellemus, via planissima, latissimaque pateret. meditantibus, cum, & voces, & phrasas, & earum variæ relationes, & combinationes insignes, easque satis feraces, & utiles doctrinas magno numero textum plenius insipientibus obviam producant, & ad earum annotationem, & explicationem magnetis instar trahant, & attrahant: sed hac vice saltem *Unicum Doctrinalem Usum de Peccato in spiritum Sanctum* hisce meditationibus sacris destinabimus.

3. Est enim hoc peccatum omnium gravissimum, adeoque si peccatum omne jure suo dicitur *Monstrum*, idque deterrimum, cum sit imaginis divine pulcherrimæ deturpationis, & totalis, quoad perfectiones concreatas eradicationis, vel depravationis, præter omnem Creatoris intentionem, efformationem, & positionem; ordinatissimamque *Natura* nobilioris dispositionem: e contra vero deformissima, horribilissimaque larvæ Diabolicæ præsentatio, vel assimilatio, vel etiam ipsius *Diaboli representatio*, cū, ex judicio *Chrysostomi*, quodlibet peccatum sit magnum quoddam *Demonium*: certe de *Peccato in spiritum Sanctum* omni jure dicendum erit, quod sit monstrum monstrorum, caput, & apex omnium peccatorum; neque facile quis monstrositatem ejus convenientibus titulis exprimere, vel proportionatis coloribus depingere poterit. Facit huc etiam quod peccatum hoc in *spiritum Sanctum* magnis difficultatibus sit implicatum, & propter naturæ tenebricositatem, & propter dissentientium opinionum diversitatem, & propter exemplorum raritatem, & propter dictorum de hoc peccato loquentium, paucitatem &c.

4. Licet

4. Licet autem plurima de *sensu genuino*, quoad hoc *Oraculum* afferre possimus, tamen hic *paucis* saltem *argumentis* erimus contenti, quod hic *directe*, vel *proprie* tantum agatur de *Peccato in Spiritum sanctum*. Probamus hoc [1] *ex Oraculi totius argumento*, quia quilibet lector, qui probe cognitam habet *Peccati in spiritum s.* naturam, & debitam adhibet, vel intelligentiam, vel diligentiam, in hujus *Oraculi* perlectione, citra moram, & dubiorum verorum praesentiam, facile deprehendet, in his verbis Apostolum de *peccato in spiritum s.* sermonem facere. (2) *ex adequato Peccati in spiritum s. opposito*, quod est *totalis Christianorum doctrina*. v. i. 2. nim. *Catechetica, fundamentalis, & elementaris*, quae per distincta capita non sine causa praemittitur, ut ad *oppositum adequatum*, *Peccatum in spiritum s.* via praepararetur, & eo clarius, atque certius tale *Peccatum* indicetur. Tota siquidem *Catechesis Apostolica*, juxta methodum etiam *Lutheranae Catecheticeos*, quoad accuratam, eamque perfectam harmoniam luculenter introducit. In *Catechismo B. Lutheri* seqq. capita nobis exhibentur (a) *Lex, sive Decalogus*, (b) *Symbolum Apostolicum*, quoad fidei *γνώσις*, de *Fide*. [c] *Oratio Dominica*, quoad fidei *πράξις*, (d) *Doctrina de Baptismo*. [5] *de Coena Dominica* (6) *Tabula Oeconomica*, quoad *Oeconomiam omnium Statuum*, *Ecclesiastici*, quoad *Ministerium*, *Politici*, quoad *Magistratum*, *Domestici*, quoad *Societatem conjugalem*, *Paternam*, ac *Herilem*: nec omittitur, *Resurrectio Mortuorum*, in *Articulo III. Symboli*, nec *judicium extremum*, in *Adventu judicis ad judicandos vivos, & mortuos* *Artic. II. Facilis*, jam erit collatio cum hac *Apostolica Catechesi*: Nam *Fundamentum Apostolicae Catecheticeos* dicitur [1] *Doctrina poenitentiae ab operibus mortuis*: haec opera mortua peccata sunt, divinae legis opposita, cum *Lex*, quoad *statum proprium*, consistat in *ἐννομία*, quoad *statum oppositum* in *ἀνομία*: jam tantum ex lege dicitur *agnitio peccati* *Rom. III. 20.* quam sequitur *consternatio, contritio, seriaque poenitentia*. [2] *Doctrina de Fide*, tam quoad

quoad *γνώσιν*, ut cognoscāmus, vereque credamus in Deum
Patrem, Filium, & spiritum s. quæ *Doctrina* summarium secun-
dū *Catechetici Capituli* complectitur (3) *Doctrina de fide ad De-*
um, ut per *fidelē praxin*, divinamque τὰξιν referamur ad Deum,
ordinemur ad Deum, uniamur cum Deo, simulq; maneamus ut
fideles in Deo Joh. XVII. 24. quæ ponunt *Orationem Dominicam*,
tertium *Catecheseos Lutheranae caput*. [4] *Doctrina de Baptismo*,
videl. αἰσιώως, de *Baptismo formali*, quæ ratione sistitur *Quartum*
Lutheranae Catecheseos Caput, de *Sacramentum initiationis*, vel
ipso *Baptismo*: & εἰσιώως de *Baptismo materiali*, quæ reperit-
tur in *Cæna Dominica*, quæ suo modo baptizat sanguine Chri-
sti, dum sanguis Jesu Christi Filii Dei nos emundat ab omni pecca-
to. I. Joh. I. 7. & hic est sanguis, quæ, juxta *Sacramentalis*
institutionis verba, pro multis, h. e. omnibus, effunditur in re-
missionem peccatorum Matth. XXVI. 28. & sic notatur (5)
Cæna Dominica, dum *baptismatum* in plurali mentio fit in *Apo-*
stolica Catechesi, partim ut indicetur *Baptismus formalis*, *lavacrū*
regenerationis, & *renovationis in Spiritu sancto* Tit. III. 5.
quæ dispensatur in aqua Job. III. 6. partim ut subindicetur *Ba-*
bptismus Materialis in sanguine *Cænae Dominicae*. &c. [6] *Impositio*
manuum, quæ notat *vocationem*, *ordinationem*, & *initiationem*,
distinctorum Statuum in Ecclesia, tum *status Ecclesiastici*,
tum *Politici*, tum *Oeconomici*, juxta *Tabulas generalis Oecon-*
omiæ, cum quilibet Christianus in certo statu quodam ordi-
nariè vivere debeat, ad hos status autem per preces, & *im-*
positionē manuum homines omnium statuum consecratur, & ini-
tiantur, sicut de *Ministris Verbi*, *Magistratibus*, & *Novis Con-*
jugibus alibi fuit à nobis demonstratum (7) *Resurrectio Mor-*
tuorum, quæ pariter fundamentalis Christianæ fidei, *Cate-*
cheseosq; doctrina. [8] *Judicium extremum*, quod simul æternam
piorū glorificationem, ac æternam impiorum condemnatio-
nem, complectitur, & *colophonem Apostolicæ Catechesi* conve-
nienter imponere deprehenditur, & in *Catechesi Lutherana*,
juxta

juxta *Symbolum Apostolicum* Artic. II. & III. traditur. Hæc distinctius h. l. notare volumus, ut pateat adæquatum doctrinæ fundamentum, & summarium, & eo carius appareat ejus oppositum, totalis, & abominabilis *Apostasia*, quæ propria peccato in Spiritum S. (3) *Ex statu partium peccati in Spiritum S. Systatice*: nam varii dantur in peccato in Spiritum S. Actus, tam materiales, quam formales, qui dicuntur ab aliis partes; ab aliis respectus, ab aliis requisita &c. nuncupantur, quæ tamen certo quodam modo partialiter totum peccatum in Spiritum Sanctum ingrediuntur, illudque constituere dicuntur: jam omnibus partibus positis, citra dubium ponitur totum, & illis presentibus, totum negari neque potest, neque debet: quod autem illi partiales actus omnes hic compareant, in sequentibus, & allegabitur, & paucis explicabitur. [4] *ex attributo proprio*: Dicitur enim communiter, quod, posito proprio adjuncto, ponatur etiam proprium subjectum: jam hic ponitur proprium adjunctum, Irremissibilitas, quod ita competit peccato in Spiritum S. ut alias nulli peccato competere queat, prout ipse Christus Salvator clarissimis verbis pronunciat Matth. XII. 21. Omne peccatum, & blasphemia remittitur hominibus; Spiritus autem blasphemia non remittitur: & idem etiam Apostolus in hac Epistola loco parallelo, c. X. 27. verbis exsertis enunciat, quod nulli talibus peccatis relicta sit bestia. Plura nunc addere neque libet, neque licet.

5. Sufficiant igitur hæc, quoad *Existentiam*, non tam absolutam, quod detur Peccatum in Spiritum S. cum illud ex aliis locis biblicis, quoad hanc *Existentiam* satis sit certum, & apertum Matt. XII. 32. Marc. III. 29. Luc. XII. 10. &c. quæ respectivam, quod hoc ipsum Peccatum in Spiritum S. in hoc Oraculo sit fundatum. Hinc ad ipsam naturam hujus peccati, juxta præsentem locum, recta procedendum, quam duplici potissimum ratione præsentis tractatione brevissimis, quantum fieri potest, expediemus. [1] *negative, vel remotive*, quid non sit Peccatum in Spiritu

Spiritum S. , ut adulterinas, vel peregrinas opiniones removeamus. [2] *Affirmative*, vel *positive*, ut, quoad fieri potest, ejus rationem propriam juxta textum exponamus.

6. Quoad *negativam* declarationem, dicimus (1) quod *Peccatum in Spiritum S.* non sit peccatum *incredulitatis*, quam sententiam affert Zwingli, Tom. I. oper. p. 187. ubi non tantum hoc verbis disertis asserere, sed etiam ex omnibus locis, de hoc peccato quomentibus probare conatur Tom. 2. p. 187. Verum *incredulitas* communissimum est peccatum, quod non in Ecclesia tantum penes Christianos, & illuminatos, sed etiam apud *Ethnicos*, vel *Gentiles*, invenitur: jam verò, juxta nostrum Textum, *peccatum in Spiritum S.* totam Christianorum Doctrinam supponit. v. i. 2. & *renatis ac illuminatis* saltè tribuitur, quales inter *Gentiles*, & *Ethnicos* neque dantur, neque dari possunt. Nec de quibusvis incredulis dici potest, quod jam fuerint *illuminati*, donumque *cæleste* gustaverint, & *Spiritus S.* participes facti sint atque gustaverint bonum Dei verbū, virtutesque futuri seculi: nec omnes increduli *conversi*, quia de causa neque denuo prolabi, vel ullatenus ad *pœnitentiam* renovari possunt, cum plerique neque renovationis neque *pœnitentia* notitiam ullam habeant: sic neque *Christiana* rursus crucifigere, aut ostensui habere possunt, cum ipsorum plerique *Christum*, vel etiam *Deum Filium* prorsus ignorent. Est igitur *incredulitas* quidem in hoc peccato, sed non est *ipsis* summum *peccatum in Spiritum Sanctum*.

7. (2) Quod *Peccatum in Spiritum S.* non sit *perseverare in peccato*, non credere in *Christum*, *impœnitentem esse*, quæ pariter est sententia Zwinglii, dum Tom. III. super Matth. 6. XII. p. 65. scribit: *Perseverare in peccato, non credere in Christum, impœnitentem esse, peccatum est in Spiritum Sanctum*. Item in Luc. IX. p. 260. 261. Verum hæc iterum nimis communia peccata sunt, quæ neutiqvam *Peccato in Spiritum Sanctum* conveniunt, neque loco *presenti* consentiunt. Accedit,

cedit, quod hæc allegata peccata, perseverare nim. in peccato, non credere in Christum, impœnitentem esse, simpliciter omnibus irrogenitis, & extra veram Ecclesiam viventibus competant: at peccatum in spiritum renatis, & illuminatis hic attribuitur, quibus itidem reliqua totius Oraculi commata tribuuntur, adeoque neutiquam hoc peccatum in Spiritum S. irrogenitis, & non illuminatis competere potest.

8. Quod [3] Peccatum in Spiritum S. formaliter non sit non credere remissionem peccatorum, quæ sententia tribuitur Gregorio, quando scribit in Psalm. LI. *Quis est, qui peccat in Spiritum S. nisi qui non credit remissionem peccatorum? Remissio enim peccatorum opus est spiritus Sancti.* Verum peccatum in Spiritum S. in hoc Oraculo longe specialioribus actibus exprimitur, adeoque generalis incredulitas remissionis peccatorum non sufficit: sæpius etiam infidelibus infirmis, atque tentatis, non adest fides remissionis peccatorum, neque tamen illi peccatū in Spiritum S. committunt. Certum etiam, quod cuncti gentiles, vel extra veram Ecclesiam viventes, veram in Christo remissionem peccatorum, neque credant, neque credere queant, & neque tamen illi peccatum in Spiritum S. committere possunt. Est etiā hoc verè peccatū adversus spiritum S. quem homines extra veram Ecclesiam non cognoscunt: item adversus Evangelium, quod infideles nec audiunt, nec recipiunt &c.

9. (4) Quod Peccatum in Spiritum S. nullatenus in Deitatis Christi negatione consistat, quæ sententia tribuitur Hilario in Mattb. dum ita scribit: *Phariseorum sententiam, & aliorum, qui cum his sentiunt, per veritatem severissima definitione condemnat, peccatorum omnium veniam promittens, & blasphemie spiritus abnegans indulgentiam.* Nam cum cetera dicta, gesta que, liberali venia relaxentur, caret misericordia, si Deus negatur in Christo, & in quo sine venia peccator benevolentia iterata admonitionis impendit, omnino peccata cujusque generis remittenda, blasphemiam in Spiritum S. non remittendam.

*Quid enim tam extra veniam est, quam in Christo negare, quod
 Deus sit, & consistentem in Deo paterni Spiritus substantiam adi-
 mēre: cum in spiritu Dei omne opus consummet, & in se sit regnum
 celorum, & in eo Deus sit, mundum reconcilians sibi! Ergo quic-
 quid contumelia exhibuerit in Christo, id omne stabit in Deo, quia
 in Deo Christus, & Christus in Deo est. Verum aliud est pec-
 catum in Filium Hominis, vel Christum, aliud peccatum in Spi-
 ritum S. licet utrumque peccatum dicatur blasphemia Matth.
 XII. 31. 32. Marc. III. 28. 29. tamen aliud atque aliud blasphemie
 respectus: in multis blasphemia contra Filium Hominis, &
 contra spiritum S. conveniunt, in multis quoque differunt, si-
 cut alibi non semel à nobis demonstratum; Vid. Comp. Hutt.
 Analytico Exeget. Loc. IIX. Q. 26. p. 902. § 3. Plures quidem a-
 lias opiniones discrepantes recensere, vel expendere posse-
 mus, sed ad propositum progrediendum.*

*IO. Campus autem Doctrinalis in hoc Oraculo vere di-
 citur amplissimus, messis copiosissima, sed modo tantum extre-
 ma tangere, vel spicilegium ex segete, vel etiam messe, facere
 cogimur, ideo summa capita saltem, tanquam indices, intro-
 spicimus.*

*XI. Cernimus in Oraculo nostro (I) Peccati in Spi-
 ritum S. Onomatologiam, tum quoad Etymologiam, non in voci-
 bus conjunctis, sed quoad antenus disjunctis & per Oraculum totum
 dispersis, ad hoc tamē peccatum exprimendum satis accommo-
 datis, cum & prolapsus, & Spiritus S. fiat mento, adeoq; tota-
 lis apostasias à Spiritu Sancto fiat introductio: sed ita quidem,
 ut & peccatum, vel lapsus μοναδικός &, ut ita loquamur, ἕξοχι-
 κός supponatur, suoque modo tale παραπέμπειν ἄδικός, intelli-
 gatur, & non obscurius, ratione totalis status, cum plenario
 Protoplastorum lapsu conferatur. Hoc tamen cum grano sa-
 lis intelligendum. Vox spiritus etiam h. l. non tam Spiritus S.
 naturam, vel Essentiam; nec à miris ipsam substantiam, sed
 potius ejus spartam, & officinam, nim. sanctificationis, & gra-
 tiosam donorum presentiam, differentiam, & energiam, respi-
 cere*

cere dicitur. Hinc quoad *Homonymiam Peccatum in Spiritum S.*
 non sumitur h. l. (a) *ἠμαρτία* & *ἀπλῶς* negative, pro negatione
prime illuminationis, quæ competit omnibus gentilibus, & aliis
 extra veram Ecclesiam constitutis, qui lumine gratiæ nunquam
 illuminati fuerunt, sed in tenebris ignorantia, propter naturæ
 corruptionem, semper manserunt, cum omnes homines,
 propter totalem Adæ lapsum, tenebris obscuratum intellectum pos-
 sideant *Eph. IV. 18.* (2) neque *πῶς* private, quatenus apud
 omnes peccatores pro disparitate prævaricationis tum ratione do-
 ctrinæ, tum ratione morum & c. variæ Spiritus, & illuminationis
 eclipses inveniuntur, & in Spiritum Sanctum, ejusque sancti-
 ficationem, illuminationem, & renovationem, etiam quoad ple-
 nariam apostasiam admittuntur. (3) sed *ἀπλῶς* negative, &
 private simul, quatenus talis apostasia hominis, & blasphemia
 Spiritus ad *ἀκμῆν*, & ad omnes apostasias, & blasphemias gradus
 & actus perseveranter, & finaliter transcendere dicitur, quæ
 proprie dicitur *Peccatum in Spiritum Sanctum*. Nec denique
 deficit *Synonymia*, sicut alias vocatur *Blasphemia Spiritus καὶ*
ἰσοχὴν *Matth. XII. 31. Marc. III. 29. Peccatum ad mortem I. Job.*
V. 16. Voluntarium peccatum post acceptam notitiam verita-
tis in hac Epist. cap. X. 26. Contumelia Spiritus gratiæ v. 29. & c. Sic
 etiã talia synonyma nō defunt in Oraculo nostro, quæ talia sunt tum
Irremissibile peccatum ἀπλῶς v. 4. 6. Plenaria donorum Spiritus
tum respectu presentis, tum futuri seculi repudiatio v. 4. 5.
Totalis omnis Spiritus intellectualis, sensus gustus & usus eraducatio
v. 4. 5. Blasphemia Spiritus, & omnium donorum ejus excommunicatio
v. 4. 5. Totalis & finalis à Spiritu Sancto defectio, vel apostasia
v. 6. Omnis pœnitentia, vel renovationis exterminatio. v. 6.
Iterata & ratione conversionis impossibilis & incurabilis cum blas-
phemia conjuncta, Filii Dei crucifixio v. 6. Totalis, & finalis, cum
omnium mediolorum salutis repudiatione, contumelia Salvatoris, &
blasphemia Spiritus & c.

12. (II). *Peccati in Spiritum Sanctum pragmatologiam*, circa
 quam ex Oraculo præsentis declarandam, multa notatu digna

forent, sed nos *brevitatis* institutum, semel præscriptum, attendimus, & ad *actus partiales* in hoc Oraculo digitum, vel calamum intendimus.

13. Dicitur communiter, quod in peccato in spiritum S. duplicis generis actus inveniantur nim. (a) *Actus materiales*, qui potissimum respectu *subjectorum*, explicantur, adcoque vere suo modo generales dicuntur (2) *Actus formales*, qui potissimum ad *Objectum* ipsum referuntur, & *Peccatum in Spiritum Sanctum formaliter determinare*, vel consummare perhibentur.

14. *Actus materiales* vulgo dicuntur *communes*, & juxta nostrum *Oraculum*, duplicis sunt *Ordinis*: alii respiciunt *Christianos & Orthodoxos Doctores*, alii verò tantum ad *Heterodoxos, & apostatas* referuntur.

15. *Priores* dicuntur (1) *Salutifera veritatis Agnitio*, quæ præcedit *Peccatum in Spiritum Sanctum*, cum sine veritatis salutaris agnitione nullum *Peccatum in Spiritum Sanctum* locum inveniat, Probatum illud partim *ex veritatis illuminatione*, quia *verbum DEI Lux* est, & *lucerna* Psal. CXIX. 105. & *illuminat oculos* Ps. XIX. 9. partim *ex doni cælestis gustatione*, quæ veram notitiam ante se requirit, partim *ex Sancti Spiritus participatione*, qui *Spiritus Sapiencia, intelligentie & scientie* Es. XL. 2. partim *ex verbo DEI per gustum Spiritualem perceptione* v. 5. &c.

16. (2) *Salutifera Veritatis agnita plenaria perceptio*, quæ pariter tum *ex illuminatione*, tum *ex doni cælestis possessione*, tum *ex Spiritus Sancti participatione*, tum *ex verbi Dei virtutumque futuri Seculi gustatione* &c. comprobatur.

17. (3) *Salutaris Veritatis percepta comprobatio*, quod nim. *Peccatum in Spiritum S.* non *levem doctrinæ cognitionem*, aut *aliqualem saltem perceptionem*, sed *plenam mentis approbationem*, verumq; pariter *assensum* ante se postulet, qui *consensus* itidē patet (a) *ex illuminationis actu*, (b) *ex doni cælestis gustu*, qui gustus non potest approbationem non exigere (c) *ex participationis Spiritus S. statu*, quia *Spiritus S.* in illuminatis est *efficax*, & approbationem non potest non operari, dum veritas agnita non potest assensum non inferre.

18. (4) *Salutaris Veritatis cælestis approbata defensio*: sicut enim quilibet veritas, recte percepta, suam defensionem secum trahit

hit

hit, ita multo magis id *cœlesti veritati* tribuendum, & Dona cœlestia circa veritatem salutiferam talem defensionem inferunt, cum omne bonum vere cognitum defensionem pariat.

19. (5) *Salutaris Veritatis approbata, defensioneque propugnatio*, quam ostendit, tum doni, vel virtutis cœlestis *præsentia*, tum potens ejus *energia*, tum Sancti Spiritus *κρεια* &c. Siquidem *spiritus Sancti gratia* nescit tarda molimina, ad invictam verbi, doctrinaeque *propugnationem*, sicut *Apostolorum, Stephani, &c.* exempla demonstrant.

10. Posteriores Actus pariter in dicto nostro clare satis indicantur, quales sunt (1) *agnita, suscepta, comprobata, defensa, propugnataque veritatis abnegatio*, tum interna, ratione mentis, tum externa ratione confessionis, oralis quæ patet ex *totali prolapsione, vel actuum precedentium rejectione*.

21. (2) *Abnegata veritatis salutaris oppugnatio*, quia lapsus hic totalis non tantummodo nudam abnegationem, sed etiam omnimodam oppugnacionem includit, cum primis ex *oppositione materialium actuum*. v. 4. 5. sicut etiam exempla *Phariseorum* id ostendunt. *Matth. XII. Marc. III. & Luc. XII. Conf. Hebr. X. 26. seq.*

22. (3) *Abnegata & oppugnata Doctrina salutifera blasphematio*, quæ conspicitur, præter alia, tum in *iterata Filii Dei crucifixione*, quæ cum variis blasphemis conjuncta fuit, imprimis quia non intelligitur h. l. *crucifixio realis*, quæ prorsus impossibilis, cum nec amplius crucifigatur, nec iterum moriatur Christus *Rom. VI. 9. sed verbalis*, quæ potissimum in blasphemis invenitur.

23. Tandem producat *Oraculum Formales, & proprios actus*, quales (1) *Blasphemata Doctrina salutaris verè totalis, & finalis repudiatio*, quæ conspicitur in *continua Filii Dei crucifixione, & contumeliosa, vel ignominiosa illusione*, dum nulla prorsus ipsis hostia reperitur *Conf. Hebr. X. 26.*

24. (2) *Totalis & finalis pœnitentia seu conversionis, vel omnium mediocrum salutis rejectio*, dum impossibile dicitur, ut tales *gratia Dei contemtores, Salvatoris blasphematores, & Sancti Spiritus, ejusque donorum illusores, & oppugnatores ad veram pœnitentiam, & renovationem revertantur*, v. 5. &c.

25. Tandem addimus in *pragmatologia propria* quædam (1) quod sit peccatum *Doctrinale, non morale. (2) non legale, sed Evangelicum. (3) non Universale, sed singulare. (4) non partiale, sed totale. (5) irremissibile (6) immediate damnabile &c.* quæ patent cum aliis ex *Oraculo*, sed de his nihil addere licet, quam

SOLI DEO SIT GLORIA

VIRO - JUVENI

Clarissimo atq; Politissimo DOMINO

M. NICOLAO S. TILIANDRO,

DE PECC. IN SPIRIT. SANCTUM,

Masculæ atq; erudite disputanti,

Amico atq; Populari suo omnium dilectissimo

ita gratulari voluit

ERICUS WALLERIUS,

Calmaria - Svecus.

Cordati sane est doctum certamen inire,
Prodere & ingenii nobilioris opes.
Assiduo præstat studio coluisse Camenas,
Quam versasse manu nocte dieq; Scyphos.

Quid *Tibi* sit mentis, TILIANDER, dulcior ipso
Melle, quod in cera sedula ponit apis:

Hoc ipsum ostendit monumentum flumen ad *Albim*,
Hac ubi *Leucoreus Phæbus* in *Urbe* sedet.

Sic juvat ex voto studiorum promere fructus,
Quos *Tibi* non unus *Pindus*, *Amice*, parit.

Per tres *Octobres Londinum* vidit utrumque
In *Scania*, Musis quæ *CAROLINA* cluet.

Hinc *GRTPHISWALDAM* petiisti haud fidere scævo;
Hinc quoque *ROSTOCHIUM* visere coepit amor.

Jam pariter mecum potes hæc venerarier *ampla*
Lumina Parnassi, quæ pietate decet.

ALBIACIS igitur vehementer lætor *ATHENIS*
Gratari numeris me potuisse *Tibi*.

Hocce tuum *specimen*, sit ab omni parte beatum,
Quod sacra *Theologie* non sine *Laude* probat.

Inde *PARENIS* capiat *Venerandus* gaudia cordis,
Cui talem *gnatum* *Summus Jöva* dedit!

Floreat & *PATRIÆ* multo gratissima tellus,
Cui nati, vitam *Numine* dante, fumus!



